



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 76. Turcæ obsidionem solvere coacti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Interea vallum prope arcem erexit
continua verberatione dejiciebant, at-
que eruptione facta ingentem illam li-
gnorum struem, qua Turcae fossam ape-
ruerant, repentinis flammis combusse-
runt. Ab eo temporis articulo non-
nisi tormentorum, & scolpetorum
istibus res gerebatur usque ad vigesimam
primam Julii diem, qua Halim
Bassa, cum obfessorum pertinaciam nulla
vi frangi cerneret, Babocensis obsidio-
nis obtentu tormenta Quinqueecclesias
versus noctu transferri jussit, ubi atrox
sequebatur prælium, ac ferme extrema
Turcarum clades, qua insuperhabita
Bassa Zigethi obsidionem redintegrabat,
quamvis illico a præsidiariis urbe
erumpentibus repulsus fuerit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1556.

§. LXXVI.

Turcae obsidionem solvere coæti.

Evolutis aliquot diebus rursus impetu *Contin.*
undique facto continuis octo horis *Chalc. l. 4.*
pugnatum est, quin tamen obfessi ad *n. 48. p. 629.*
dedendam, vel relinquendam urbem
compelli possent, quo circa Halli Bassa
omni spe potiundi oppidi abjecta die vi-
gesima nona Julii fugienti similis præ-
missis Quinqueecclesias belli tormentis
ab obsidione discessit, non sine lacrimis
ubertim profusis, prout Historicorum
nonnulli referunt. Porro Turcarum

Hh 4 du-

Sæcul. XVI ducenta millia in hac expeditione periisse
 A.C. 155⁶. memorantur: ex obfessis vero perempti
 dicuntur nonnisi centum, & sexdecim,
 atque a Christianis collecta fuere plus-
 quam duo globorum millia, quæ in
 proximi belli usum seposita sunt: Halin
 vero, ut suam famam nonnihil repa-
 raret, Babozam, S. Martini oppidum,
 Geresgalum, Sallium, Laurentii Fa-
 num, & Calamanciam partim flammis
 absumpfit, partim solo æquavit. Por-
 ro tantos insultus fregit adventus Fer-
 dinandi Archiducis a Patre suo cum
 Sfortia Pallavicino ac delecto equitatu
 laborantibus suis auxilio missi, nam is
 cum exiguo armatorum numero contra
 ingentes Turcarum copias aciem in-
 struxit, ac Karothum, urbem satis mu-
 nitam, ac tertio Baboza lapide dissim-
 tam cinxit, quam etiam primo impetu
 cepit, victorque miles tanta strage in
 hac obsidione debachabatur, ut ex sex-
 centis Turcis ibidem agentibus nonnisi
 duos in captivitatem abstraheret, truci-
 datis ceteris omnibus; insuper Halin,
 postquam ab obsidione redux partim
 ex insidiis, partim in Hungarorum eru-
 ptionibus exercitus sui robur amiserat,
 viribus fractus, perterritus, ac inglorius
 Budam se contulit, ubi etiam hic
 Bellidux, qui ab initio tantam de se
 expectationem excitaverat, doloribus,
 atque

atque ignominia plenus ob bellum hoc
adeo sinistre gestum invisam vitam cum Sæc. XVI.
A.C. 1557.
morte commutabat.

§. LXXVII.

*Guisiæ Dux Pedemontium cum suo
exercitu invadens.*

Postquam Papa, ac Caraffenses dire, *Thuan. l. 18.*
& anxie Guisiæ Ducem, qui valido ^{num. 1.}
imperabat exerciti, præstolati fuissent, ^{Beicar.}
tandem Mense Januario Anno Domini ^{comm. l. 27.}
^{num. 20.} millesimo quingentesimo quinquagesimo
septimo eisdem nuntiatum, quod in
Pedemontio nuper adventasset, secum-
que plusquam viginti armatorum mil-
lia duceret; erant enim in Guisii exer-
citu quingenti Cataphracti, mille quin-
genti levis armaturæ equites, quinque
Helvetiorum millia, quatuor millia
Vasconum, & Gallorum peditum fe-
ptem millia præter quædam vexilla
Italorum, ac quamplurimos volunta-
riam militiam professos. In hoc exer-
citu Jacobus Sabaudus Nemorsii Dux
sub imperio suo gallicum habuit pedi-
tatum: Renatus vero Lotharingus Elle-
bovius Guisii Ducis frater Helvetiorum,
ac Rætorum copiis imperabat, eique
Franciscus Clivensis, & Franciscus Vin-
dacinus Carnutum Vice-Dominus, ambo
tunc Juvenes adjuncti erant præter alios
ex primaria nobilitate conspicuos, quos

H h 5 inter